



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput I. Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi divinitatem asseruit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS LIBER OCTAVUS,

*In quo aliquorum Patrum, præsertim Antenicænorum con-
textitur Apologia.*

Authoritas
Antenicæ-
norum Pa-
trum pro
fide Trini-
tatis.



DRo Fide Trinitatis adversus veteres, ac recentiores hæreticos hætenus pugnatum est. Nunc Patrum aliquorum, qui ante Ariana tempora, aut his percurrentibus in Christiana Religione floruerunt, auctoritatem studemus vindicare. Compluribus enim, nedum exteri, præsertim vero Apostolicarum Traditionum impugnatores, verum etiam nonnulli Romanæ communio- nis Scriptores celeberrimi Arianorum terribilissimam maculam affricarunt. Sunt hi præcipue Ignatius, & Justinus Martyres præclarissimi, Athenogoras Atheniensis Philosophus, qui Servilio Pudente, & L. Fusidio Coss. id est, anno Aerae vulg. clixvi. M. Aurelio Imperatori notissimam obtulit Apologiam; Irenæus item S. Polycarpi Auditor, Clemens, & Dionysius Alexandrini, &

quem hydram omnium hæreseon quidam nominarunt, Origenes Adamantius. Athanasium quoque, etsi nefarii dogmatis infectatorem acerrimum atque invictissimum, pestilentissimus Socinianorum Wolzogenius diversam à Catholicis tenuisse sententiam confidentissime pronuntiavit. Sed & Basilium in crimen violati circa Spiritus Sancti divinitatem dogmatis quidam adducere, quamquam inani prorsus conatu, tentaverunt. De his ergo Græcorum Patrum antiquissimis prima inquisitio est habenda: deinde fides Occidentalium aliquorum, impiarum linguarum stabel- lis ventilata, asserenda est; Tertulliani nimirum, Cypriani, Lactantii, & Arnobii. De Eusebio Cæsariensi, de Liberio, & de Osiro erit postrema hujus disputationis pars: hi enim damnato jam Ario ipsius blasphemii patrocinati dicuntur. Atque isti octavæ disceptationis, quam *Apologiam Antenicæno- rum* inscripsimus, fines erunt.

CAPUT I.

Ignatius Martyr suis in Epistolis Verbi divinitatem asseruit.

SUMMARIUM.

1. Punctum difficultatis.
2. & 3. Probat, Ignatii 7. epistolas ab Usserio, & Is. Vossio restitutas, esse genuinum S. Martyris opus.

- à num. 4. usque ad 11. Satisfit oppugnationibus.
11. & 12. Ostenditur, in epistolis Ignatii Verbi divinitatem tradi.
13. Respondetur ad aliquam instantiam.

1.
Auctoritas
S. Ignatii M.

EPISTOLAS beati Ignatii Antioche- næ Ecclesiæ post Evodii Episcopi, qui Imperante Trajano ad bestias damnatus est, oppugnarunt tria illa No-
R. P. Berti Theol. Tom. II.

vaturientium Capita Claudius Salma- sius, Joannes Dallæus, & David Blondellus ægre ferentes in his Episcoporum regimen in Ecclesia constitui, eorumque argu-

menta recudit Casimirus Oudinus in sua de Ecclesiasticis Scriptoribus Historia. Defendunt illas Epistolas econtra non solum veteres Scriptores, verum etiam Jacobus Usserius, Hammondus, Jo. Vossius, Cotelierius, Cave, Clericus, & luculentissime Jo. Pearsonius, & Georgius Bullus, præter Dupinium, Alexandrum, Annatum, aliosque communiter. Quoniam quaestio gravissima est, atque pendet ex ea judicium de Ignatii circa Verbi divinitatem sententia, breviter resolvenda videtur; nam quisquis ampliorem velit dissertationem, poterit commodius Ignatianas Vindicias legere in altero Tomo Patrum Apostol. Cotelierii. Sunt autem Epist. de quarum germanitate pugnatur, numero septem: *Ad Ephesios, ad Magnesianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphianos, ad Smirnaeos, & ad Polycarpum*. Aliæ enim, quæ olim tribuebantur Ignatio, sunt unanimi Recentiorum consensione suppositæ ac pseudepigraphæ: & licet Epistolas Ignatii ad Mariam Virginem, & Joannem probaverint Dionysius Carthusianus, Petrus de Natalibus, Marcus Michael Presbyter Cortonenfis, & absque ulla hæsitazione Canisius Tom. 2. de Corrupt. V. D. lib. v. cap. 1. perperam tamen adscriptas Ignatio suspicatur Baronius Tom. 1. An. 48. Posslevinus in Apparatu, Christoph. de Castro in Hist. Deip. cap. 23. & Auctor Indicis librorum expurgandorum Romæ editi an. 1607. Quare cum nullus veterum harum Epistolarum meminerit ante D. Bernardi tempora, nullumque extet illarum autographiæ vel minimum argumentum; paucis, credulisque nuper commemoratis nolumus assentiri. Ad priores itaque septem Epistolas coarctanda est disceptatio.

2.
Genuinum S
Ignatii M.
opus.

Probatio 1.

PROPOSITIO I. Ignatii septem Epistolæ ab Usserio ex vetustissimis Codicibus Anglicanis, dein ab H. Vossio ex Florentino restitutæ, atque cum plurimis Latinis Interpretationibus concordantes purum sunt ac genuinum Sancti Martyris opus.

Subscribit huic propositioni quisquis præjudiciis non laborat: eamque contractis hinc momentis possumus confirmare. Ac primo: constat ex H. Eccl. Eusebii lib. 111. cap. 37. ubi recensitas septem Epistolas memorat, Sanctum Martyrem Polycarpum earumdem in sua ad Philippenfes meminisse. Deinde plura ex Ignatianis Epistolis testimonia Irenæum protulisse, colligitur ex eadem Historia Eusebii lib. v. cap. 8. Nec ju-

vat Dallaum hoc modo inter Irenæi scripta nequaquam extare, cum multa Martyris opera interierint. Quod etiam addit Calvinista Eusebium errare, eadem facilitate refutatur, qua proferitur. Quibus enim indicis tam crassum Eusebii commentum revincemus? Ex antiquiorum, inquit, silentio. At multa genuina scripta ab omnibus recipiuntur, quorum nullus ante Eusebium catalogum collegit. Is vero non ex penu suo, sed ex præcedentium Scriptorum scriniis memorias eruit antiquitatis. Tertio Theophilus vi. Antiochenorum Episcopus Commentaria edidit in Matthæum: quæ se legisse affirmat Hieronymus, atque ex his Commentariis mutuatus est, quod ipsemet habet ad cap. 1. Matth. v. 18. *Martyr Ignatius etiam quartum addidit causam cur à desponsata conceptus sit, ut partus, inquit, ejus celaretur diabolo*. Quod Ignatius tradidit in sua ad Ephes. Epistola. Atque idem Hieronymus in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum septem ignatianas Epistolas eodem ordine censet, quo supra fuerunt à me numeratæ. Neque sine stomacho audire possumus, qui reponunt Hieronymum lectione Eusebii fuisse deceptum; quum ex prolata sententia, quam in libris Eusebii non invenimus, liqueat Hieronymum summæ eruditionis hominem Ignatii scripta aliunde quoque, & præsertim ex memorato Theophilo cognovisse. Rursus Origenes Homilia vi. in Lucam nonnulla affert ex Epistola Ignatii ad Ephesios, & in Prologo Comment. in Cantica ex Epist. ad Romanos: neque tam apertum argumentum excutere possunt adversarii, nisi pervicaciter negando hæc esse germana Origenis opera contra Hieronymi testimonium, qui ea latinitate donavit, universorumque Criticorum consensum. Nam quod respondent nonnulli Origenem verba Ignatii commendavisse, non scripta; id quidem ejus lectione evidentissime refutatur; quippe ait ille: *Unde eleganter in cujusdam Martyris Epistola reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochie, &c.* Denique Ignatii Epistolas, earumque doctrinam laudat S. Athanasius de Synod. Arim. & Seleuciæ; Theodoretus ad Monachos Constantinopolit. & ad Florentium Patritium, aliique posteriorum ætatum innumeri. Alia argumenta vide apud Natal. Alex. dissert. xx. 11. sæculi 1. vel potius adeas copiosissimum fontem, ex quo ille bibit, doctissimum scilicet Pearsonium.

3.
Probatur deinderaassetum demonstans- Probatio 2
do

do vanissimas esse conjecturas, quibus paratragediant Dallæus, & Oudinus, mali corvi, ut quemdam ipse compellat, malum ovum. Etenim si spuria forent Ignatianæ Epistolæ, maxime, ut isti arguantur, vel propter distinctionem inter Episcopos ac Presbyteros, quæ ex his comprobatur, vel propter stylum, quem Ignatio nuperi Calviniani putant indignum, vel ob res quas narrant, ac tradita in eis dogmata. At sunt hæc omnia levissima. Non ergo præfata Epistolæ sunt Divo Ignatio abjudicandæ. Minorem sic probo. Quantum ad discrimen attinet unius Episcopi à coetu presbyterorum, illud in Ecclesiastica Hierarchia perantiquum & jure divino statutum didicimus, quicquid obganniant Presbyteriani. Stylum autem Ignatianarum Epistolarum redolere simplicitatem Apostolicam demonstrat Clericus accuratissimus, ut ab Adversariis habetur, Criticus in Hist. Eccl. ad An. cxvi. num. 12. Nec est, cur opponant duriores quasdam metaphoras, & frequentiam epithetorum, cum hæc fuerint Syrorum singulæ. Psætere, ut unicuique sua facies est, & sua vox, ita homines singuli propriam habent consuetudinem orationis, neque sunt omnes Magistrorum imitatores. Quare etsi Ignatii stylus habere quid tumidum videatur, parum ex hoc confici poterit adversus Ignatii opera genuina. Circa autem doctrinam, narrationemque Epistolarum istarum nullum ibi offenditur non Apostolicum dogma: egregiæ occurrant ad omnium virtutum genera admonitiones: specimina ubique charitatis, qua flagrabat; in ea præsertim, quam Smyrnæ, ubi diu commoratus est, scripsit ad Romanos, & in qua nescio qua fronte ardentissimum quoque dammare audeant desiderium Martyrii. Quod si erroris omnino immunis non esset, quippe nullus hominum communi mortalium infirmitati est eximendus: quid hæc, obsecro, contra scriptorum ejus antiquitatem? Demum quod Dallæus objicit de antiquorum silentio, & quatuor capitibus, vel quinque magno verborum apparatu amplificare nititur, & negativum est, & falsum ex præmissis deprehenditur. Frivolis itaque conjecturis Ignatianas Epistolas quater conantur Presbyteriani.

SATISFIT RELIQUIS OPPUGNATIONIBUS.

Etsi plurima sunt Adversariorum argumenta, & solus Dallæus sexaginta sex

urget, plura tamen militant adversus Epistolas Ignatii interpolatas, lacinis-que ante Usserianam editionem resectas; alia vero ex dictis obviam habent solutionem. Diluenda remanent quæ sequuntur. Primo: Martyr Ignatius hæresim Valentini nondum suo tempore exortam non poterat confutare. At larvatus auctor in Epistola ad Magnesianos in Valentinianam Aeonum fabulam superiori libro II. descriptam, etiam in Codice Mediceo ait: *Λόγος αἰδὼς ἐν αἰῶνι σιωπῆς προσηλθὼν*, Verbum æternum non à silentio progrediens. Item in Epistola ad Trallianos meminit Cleobuli, & Basilidis, qui post tempora Ignatii eruperunt. Ad Ephesios quoque commemorat Onesimum Episcopum tanquam adhuc superstitem, qui tamen sub Domitiano Martyr occubuit. Spuria sunt ergo & adulterinæ præfata Epistolæ etiam Usserianæ, ut dicuntur, seu Vossianæ.

Resp. nego minorem; non enim ad Valentini dogma refertur locus ille citatus ex Epistola ad Magnesianos, de quo viri doctissimi digladiantur; sed Verbum dicitur ab Ignatio non silentio progrediens, id est, sempiternum: quo sensu appellatur ab Augustino serm. 369. *Verbum quod dicturus Pater non silebat*; & in altero de Nativit. Domini: *Verbum, quod labia nullius aperuit captum, clausitque finitum*. In quibus arbitror minime S. Patrem de Gnosticorum cogitasse commentum. Revera nunquam Valentinus affirmavit Logon natum ex Sige: sed constat ex Irenæo, natum ex Nou, & Aletheia; ex Epiphonio autem, ex Antropo, & Ecclesia. Et quidem Aeonum genealogiam ex Irenæo dedimus differentes de summi Numinis æternitate: inserta autem in Panario Epiphonii hæc est:

Bythus — Sige
Pater
|
Pater — Sige
|
Veritas
|
Pater — Veritas
|
Homo — Ecclesia.
Sermo.

Hoc tamen fragmentum non esse Valentini sentiunt eruditi. Quidquid sit; nullibi invenimus Verbum proxime genitum à Bytho & Sige. Dogma denique Valentinianum ex antiquo um hæreticorum lacunis derivasse, & antiquas doctrinas in suum characterem Valentinum transfuisse tradunt & Irenæus lib. I. cap.

N 3

5.
Solutio.

6.
Roboratio.

4.
Obie. nei
contra Epi-
stolas S.
Ignatii M.

1. cap. 5. & Epiphanius in xx1. hæresi. Quapropter potuit etiam esse notum Ignatio. Cleobuli vero & Basilidis nomina non reperies in castigatis Armachani, aut Vossii editionibus; sed in latiniosis duntaxat; quamquam falsum est Ignatium horum hæreticorum non habuisse notitiam; cum Basilides contemporaneus fuerit Cerintho, qui nefariam doctrinam spargere cepit circa annum, ut arbitror, LXXX. Cleobulus autem, seu Cleobius fuit Simonis Magi discipulus. Quod dictum est de Onesimo facilis est solutionis; nam præter Onesimum Pauli discipulum sub Domitiano trucidatum, fuit alter ejusdem nominis, qui post Gajum Epheso præfuit, imperante Traiano.

7. Præterea obijciunt: In Stichometria Nicephori, quomodo & in Indice, quem Objectio 2. cum solutio-
ne. Historia suæ præfixit Anastasius Bibliothecarius, cum Ignatii, tum Polycarpi scripta tanquam apocrypha rejiciuntur.

Retorqueri potest hoc argumentum; nam & à Nicephoro, & ab Anastasio Dionysiana habentur pro genuinis Operibus Areopagitæ: at Dionysius in lib. de divinis nominibus ex Epistolis Ignatii disputans de Amore insignem locum exscribit. Sed respondemus neque Stichometria esse Nicephori, neque ibidem Ignatii Epistolas, sed suppositicia hujus scripta notari; neque in alio sensu dici apocrypha, nisi quatenus cum libris Canonicis, quorum Catalogus illic contextitur, non sunt pari honore recipienda.

8. Opponunt insuper Pseudo-Ignatium Objectio 3. secum pugnantia conscribere, primo cum de Martyribus loquitur tanquam adhuc viventibus, quos paulo ante scripserat ad locum gloriæ debitum pervenisse. 11. Dum ad Romanos scribens milites *Leopardos* appellat, vocabulo nempe ante Constantinum, ut Bochartus & Gesnerus advertunt, inusitato. 111. Dum asserit in Epistola ad Ephesios se in carne Christum vidisse, quod, etiam si traditum à Hieronymo, aliisque, impossibile censent emunctæ naris Chronologi. Addunt mirificas Epistolarum inscriptiones, quas *Belle Stribiliginosas* dixit Oudinus.

9. Resp. hæc omnia futilia esse: & primum quidem; nam Martyres appellat Ignatius Apostolos, Philippeneses, & itineris sui socios, quorum aliqui ad Martyrii coronam pervenerant, aliqui erant superstites. Nec alterum argumentum melioris notæ est; cum *Leopardorum*, (genus militum,) meminerit in vita Antonini Getæ Spartianus, & Scriptor

Martyrii SS. Perpetuæ, & Felicitatis apud Holstenium, centum scilicet annis ante Constantini Imperium: nisi mavis nomine *λεοπαρδαίων*, significari animal ferocissimum ex pardo & leæna genitum, ut apud Athanasium in Vita Antonii: eoque vocabulo tropice tantum milites designari. Ad tertium vero: habent Græca verba: *Εγὼ γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ εἶδα, καὶ πνεύμα ὄντα*, Ego enim etiam post resurrectionem in carne & scio, & credo (Christum) esse. *Οἶδα* enim est Scio, non *vidi*; & ita vertit Rufinus H. Eccl. lib. 111. cap. 36. Male ergo hæc verba ab aliquibus versa sunt, nisi aliquo falso Codice usi fuerunt. Inscriptionibus denique amplioribus utitur etiam Apostolus ad Romanos, ad Galatas, ad Titum.

10. Ultimo oppones: In singulis Epistolis Ignatius dicitur *Theophorus*, quod cognomen ex fabula ortum est, qua fingitur Ignatius puerulus ille, quem Christus Matth. 18. sublatum in ulnis stavit in medio.

Resp. etiam si fabula credatur, quæ legitur in vetere Græcorum Menæo, in Anthologio ad diem xx. Decemb. & apud Anastasium Bibliothecarium in Scholiis ad VII. Synodum Act. 1. quod non opus est definire; potuit Ignatius vocari *Theophorus*, quod Christus in illo habitaret, quomodo ait Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro*.

PROPOSITIO II. In Epistolis Ignatii Verbi divinitas apertissime traditur.

11. Ex Epistolis S. Ignatii M. Verbi Divinitas probatur. Testimonio apud Theologos notissimo ex Epist. ad Ephes. *Unus medicus est carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, &c.* alterum addo ex Epist. ad Magnesianos: *Non enim aliquid coeternum Patri, quod non est naturaliter ex ipso: ne etiam istud creaturis inesse dicamus, quod inest divinæ soli naturæ. Quamobrem, etsi Filius principium habet Patrem suum; tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne & Pater ipse talis reperitur.* Non poterat evidentius & Verbi divinitas contra Arianos, & æternitas contra Socinianos affirmari.

12. Christophorus Sandius in Nucleo Hist. Eccl. lib. 1. ut Ignatium Arianis accenseat octo profert argumenta, aranea omnia, & ex dictis præcedenti libro solvuntur.

lis

lis etiam Ignatianis dicatur Patri subiectus, missus à Patre, patris minister, & cetera huiusmodi Scripturis congruentia, & à nobis superius explicata. Restat hoc unum: Ignatius comparat Patrem Episcopo, Filium autem Presbytero; quo exemplo utebantur quoque Arianiani, ut constat ex Dialogo I. Athanasii, seu potius Theodoret, de Trinitate Orthodoxa. At exemplum in hoc sensu verum est, quod Filius habet divinitatis substantiam à Patre, quomodo Presbyter ab Episcopo Sacerdotii recipit characterem. Neque mirum est hæreticos abuti Sanctorum exemplis, dum etiam divinarum Scripturarum sensa detorquent.

At dices: In Epist. ad Smyrnæos inquit Ignatius, Christum esse Filium Dei *secundum voluntatem, & potentiam Dei.* Instantia.

Resp. dist. propositionem: Christus est Filius Dei *secundum voluntatem, & potentiam Patris*, quatenus voluntas & potentia sunt principium creaturarum; nego: prout Filius *voluntarie*, & non coacte genitus est, ac procedit à Patre non invito, atque infirmo, sed omnipotente & volente, conc. Quomodo autem Filius dici possit *voluntate* genitus, dictum est supra cap. 10. libri præcedentis. 13. Solutio.

CAPUT II.

Justini Fides contra Sandium, & Simonem Episcopium defenditur.

SUMMARY.

1. Status questionis.

2. 3. & 4. Probatur, S. Justinum divinitatem æterni Verbi & affirmasse & credidisse.

à num. 5. usque ad 11. Solvuntur oppugnationes.

Suspicio Arianismi à S. Polycarpo ammovetur.

NON moror Polycarpum, quem in suspicionem Arianismi adducit Auctor Irenici. Nugæ sunt enim, quæ contra sanctissimum Martyrem afferuntur, scilicet, quod Patrem antonomastice *Deum* appellaverit, Filium vero *sempiternum Sacerdotem*. Nam & Pater *Deus* dicitur titulo quodam speciali, quoniam fons est, & origo divinitatis; & Filius *Sacerdos* est ratione humanitatis, & *sempiternus* propter divinam naturam. Egregiam autem Polycarpi fidem contestatur ejus ad Philippenses Epistola, & oratio, quam morti proximus protulit; de qua lib. H. E. IV. 5. Eusebius. Utrobique enim Patri, Filioque æqualem gloriam attribuit. Sed & Epistolarum ignatii assiduam commendavit lectionem; & discipulum habuit Irenæum, qui ex Apostolici viri antilogia vigentes ætate sua hæreses refutavit, ut ipsemet affirmat in Epistola ad Florinum. Quare & Ignatius Filii divinitatem docuit Polycarpum, & iste Irenæum.

1. Quid de S. Justino M. sentiendum.

Agendum est ergo de Justino Martyre præclarissimo, quem Cl. Petavius scribit in 1. de Trin. cap. 3. num. 2. putasse Filium *inferioris cujusdam conditionis, etiam antequam homo fieret*; novi autem Ariani in suas partes fidenter trahunt; & Episcopus lib. Theologicarum Instit. IV. ipsius auctoritate probare

nititur, ei, qui supremam Filii divinitatem præfracte negaret, dicendum non esse *anathema*. Petavius tamen in Præf. ejusdem Operis cap. III. fatetur in scriptis Justini reperiri divinitatis Christi non leviter impressa vestigia: ideoque hac præfatione posterius edita priorem sententiam temperavit. Sunt vero germana Justini Scripta, unde causa judicanda est, duplex pro Christianis Apologia; quarum secunda, ut animadvertit Valesius, & fatentur omnes ferme eruditi, revera est prima: Dialogus habitus cum Tryphone; & nonnulla alia, quæ perierunt. Nam Orationem ad Græcos Paræneticam quamplures in dubium revocant, quod in ea Justinus non ex paganis, sed ex fidelibus se affirmet esse progenitum; atque scripta reliqua, quæ sub ejus nomine circumferuntur, supposita unanimiter censentur à Criticis.

PROPOSITIO: S. Justinus liquido divinitatem æterni Verbi & affirmavit, & credidit.

Et quidem; in Apologia, quæ prima dicitur, Justinus tribuit disertissime Filio æternitatem: Porro *Filius ejus*, inquit, *qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit.* Quæ verba jugulant hæresim nefariam Arii.

2. S. Justinus Divinitatem æterni verbi affirmavit.